



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

**Vindalium, 1646**

Sectio III. An alij sint exempti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38789**

priuationis, consequenter est capax formæ oppositæ; cum priuatio aliud non sit, quam negatio formæ in subiecto apto. Quod autem peccatum originale in priuatione consistat, dicetur postea.

---

 SECTIO II.

*An alij exempti.*

## CONCLUSIO I.

**E**Xcepta Beata Virgine, omnes posteri Adæ qui via ordinaria ex eo oriuntur, concipiuntur in peccato originali.) Loquor vt vides, de iis qui via ordinaria concipiuntur, nam etsi Christus ex Adam descendat, non tamen peccatum originale contraxit; cum virtute Spiritus sancti ex Matre Virgine conceptus fuerit. Imò quamuis Christus natus esset via ordinaria ex viro, & muliere, non contraxisset peccatum originale, quia nullum peccatum cum gratia vnionis subsistere potest.

Probatnr ergo conclusio de puris hominibus, à primo parente modo natu-

DE PECCATIS. CAP. XII. 155  
rali deriuatis; quia cum ex Scriptura,  
Conciliis, & Patribus constet, omnes  
homines concipi, & nasci in peccato, non  
possumus, sine graui fundamento ali-  
quos ab hac lege excipere. At nullum  
tale fundamentum extat, cum desit re-  
uelatio de hac re, & rationes quibus mo-  
uemur, vt Beatam Virginem sine pecca-  
to conceptam credamus, in aliis homi-  
nibus locum non habeant. Confirmatur,  
nam quo titulo præsumeremus maius pri-  
uilegium alicui concessum esse, quam  
Ioanni Baptistæ, qui tamen non ab ori-  
ginali præseruatus, sed tantum ante na-  
tiuitatem ab eo mundatus fuit?

Hinc collige 1. contra hæreticos,  
prædestinatos nasci cum peccato origi-  
nali: nam verba Scripturæ etiam ad il-  
los extendantur, & aliunde dici nequit  
sine errore, prædestinatos non egere bap-  
tismo, & sine illo, etiam ante vsum ra-  
tionis morientes, saluari.

Collige 2. contra eosdem, etiam  
fidelium filios nasci in peccato origina-  
li, propter rationes iam dictas. Quod  
autem, parentes mundi generent filios  
immundos, explicat Augustinus lib. de  
peccato originis cap. 40. similitudine  
oleæ, cuius semen non oleam, sed olea-  
strum generat. Et lib. 3. de peccatorum

meritis cap. 8. similitudine hominis circuncisi, qui generat filium incircūcisum, à quo præputium per circuncisionem auferendum est.

Iam duo hic breuiter quæri possunt 1. an si quis ex carne humana miraculosè formaretur, contraheret peccatum originale. Respondeo negatiuè, quia vt ait S. Thomas art. 4. peccatum originale à primo parente traducitur in posteros, in quantum mouentur ab ipso per generationem, sicut membra mouentur ab anima, ad peccatum actuale: non est autem motio ad generationem, nisi per virtutem actiuam in generatione. Vnde illi soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adamo descendunt per virtutem actiuam, in generatione ab eo generaliter deriuatam, quod est secundum feminalem rationem ab eo descendere. Si autem aliquis formaretur virtute diuina ex carne humana, manifestum est quòd vis actiua non deriuaretur ab Adamo, quare peccatum originale non contraheret. Nec refert, quòd is qui ex carne humana, modo iam dicto formaretur, fuisset in Adam; in eo enim fuisset secundum corpulentam substantiam dumtaxat, non verò secundum feminalem rationem, vt notatur in responsione ad 3.

Quæres 2. an si non Adam, sed Eua tantum peccasset, filij eorum contraherent peccatum originale. Responder. S. Thomas art. 5. negatiuè, quod probat, quia solus pater in generatione est principium actiuum, mater autem tantummodo materiam subministrat. Vnde peccatum transfusum esset in posteros, si solus Adam peccasset, non autem si Eua tantum. Sed quicquid sit de illa ratione, congruentius sanè videtur, vt Deus potestatem traducendi iustitiam originalem in posteros dederit Adæ soli; quia cum ille esset caput, & principium totius generis humani; ad eum propriè spectabat pacisci pro se, & pro suis filijs, quorum voluntates in voluntate ipsius continebantur.

---

#### SECTIO IV.

*Quid sit originale.*

#### CONCLUSIO I.

**P**eccatum originale nihil est aliud quàm priuatio iustitiæ originalis debitæ inesse. Probatur inductione, nam